



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmestadi[i], 1671

Cap. XI. Haeresis Sabellii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

riusve diceretur. Sed de differentia substantiarum & subsistentiarum sermo eis per Scripturas motus est, quas Græci *Usias* & *hypostaseis* vocant. Quidam dicebant, substantiam & subsistentiam unum videri, & quia tres substantias non dicimus in Deo, nec tres subsistentias dicere debeamus. Alii vero, quibus longe aliud substantia quam subsistentia videbatur, dicebant, quod *substantia* ipsam rei alicujus naturam rationemque, qua constet, designet: *subsistentia* autem, uniuscujusque personæ, hoc ipsum quod extat & subsistit, ostendat.

C A P. XI.

Hæresis Sabellii.

Ideoque propter Sabellii hæresin, confundentis personas, & dicentis, *quia idem Deus, quando vult, Pater est, quando vult, Spiritus sanctus*, tres subsistentias esse confitendas, quod quasi tres subsistentes personas signare viderentur; ne suspicionem daremus, tanquam illius fidei sectatores, qui Trinitatem in nominibus tantum, & non in rebus ac subsistentiis confitentur. Sed & de incarnatione Domini comprehensum est, quia corpus quod susceperat Dominus, neque sine sensu, neque sine anima suscepisset. Quibus caute moderateque compositis, soluto concilio, *Eusebius* vir illustris, potens in verbo doctrinæ, *Orientem* circumcivit atque *Italiam*, & illius circumferens decreta, singulas quasque ecclesias ad sanitatem rectæ fidei revocat,

vocat, idem moliente Pictaviensi Episcopo, *Hilario*, viro natura leni, & erudito, & commodissimo ad persuadendum, cujus multa exstant opuscula, & libri nobiliter editi, contra versutias hæreticorum. Interea Iulianus Imperator contra Persas pugnaturus, litat Apollini, poscens responsa, nec suscipit. Percunctati Dæmones de causa silentii, ajunt, sepulchrum *Babyle* martyris prope positum impedire. Tunc ille venire *Galileos* (hoc enim nomine nostros solitus erat appellare) & auferre sepulchrum martyris jubet. Conveniuntque nostri, psallentes cum exultatione illud Psalmistæ in auribus prophani principis: *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui confidunt in simulachris suis.* Vnde ille ad iracundiam permotus, Christianos incarcerat, & infert martyria, comminatus majora tormenta post belli victoriam. Hoc eo cogitante, res vertitur in contrarium. Nam profectus quidem est, sed reditus nullus fuit, ibique, incertum suorum, an hostium jaculo confoditur. Fertur autem, quia dum fuisset vulneratus, mox sanguine suo compleverit manum, & in aërem projecerit, dicens: *Galilæe vicisti; & in eo ipso confessus est cum blasphemia victoriam.*

